

quod dicat, *Patris*, & non *Dei*: omnis enim pater nomen est filii; ac si diceret, cum crediderint in Deum Patrem, & adduxerit eos Pater ad Filium. *Remigius*. Vel aliter. *Non bibam de gemine vitis huius*; id est, non ultra synagogae carnalibus oblationibus delectabor, in quibus illa paschalis agni immolatio praecipuum locum tenere solebat. Aderit autem tempus meae resurrectionis, & dies in quo in regno Patris constitutus, id est gloria aeternae immortalitatis sublimatus, *vobiscum illud bibam novum*; hoc est, de salvatione illius populi jam renovati perquam baptismatis, quasi novo gaudio letabor. *Augustinus* de Quaest. Evang. (Lib. 1. cap. 42.) Vel aliter, *composita*: *Bibam illud novum*, vult intelligi hoc vetus esse. Quia ergo de propagine Adam, qui verus homo appellatur, corpus suscepit, quod in passione morti traditurus erat (unde (1) etiam per vini sacramentum commendavit sanguinem suum) quid (2) aliud novum vinum quam immortalitatem renovandorum corporum intelligere debemus? Quod autem dicit, *vobiscum bibam*, etiam ipsis resurrectionem corporum ad induendam immortalitatem promittit: *vobiscum* enim non ad idem tempus, sed ad eandem innovationem esse dictum accipiendum est: nam & nos dicit Apostolus resurrectione cum Christo, ut spes rei futurae iam laetitiam praesentem afferat. Quod autem de hoc gemine vitis etiam illud novum esse dicit, significat utique eadem corpora resurrectione secundum innovationem caelestem, quae nunc secundum terrenam vetustate sunt mortitura. *Hilarius* (can. 30. in Matth.) Videtur autem ex hoc quod Judas cum eo non biberit, quia non erat habiturus in regno; cum universos tunc bibentes ex vitis istius fructu, bibituros secum postea polliceretur. *Glossa* (a). Sed sustinendo aliorum sanctorum sententiam, quod scilicet Judas sacramenta receperit a Christo, dicendum est, quod hic dicit: *vobiscum*, ad plures eorum, non ad omnes referendum (3) esse.

(1) *Origenes* (tract. 35. in Matth.) Discipulos qui acceperant benedictionis panem, & biberant calicem gratiarum actionis, docebat

(1) *Al.* inde etiam. (2) *Al.* puncto praemisso. Sed quid aliud, &c. (3) *Al.* est. (4) *In* editione *P. Nicolai* sequentes appendices interponuntur. *Beda*. Pulchre discipulos sacramentis sui corporis, ac sanguinis imbutos, hymno etiam pie intercessionis Patri commendatos, in montem ducit olivarum, ut typice designet nos per actionem sacramentorum suorum, perque opem suae intercessionis, ad altiora vittutum dona, & charismata Spiritus Sancti, quibus in corde perungamur, conscendere debere. *Rabbanus*. Potest autem hymnus ille intelligi quem Dominus apud Joannem Patri gratias agens decantabat; in quo & pro seipso, & pro discipulis, & pro eis qui per verbum eorum crediderunt, elevatis sanctum oculis precabatur, Joann. 17. *Glossa*. Hoc est quod Psalmus dicit (Psalm. 21.) „Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum.“ Tunc sequitur *Chrysostramus* (in hom. 83. ut supra.) Audiant, &c. (5) *Al.* deest *Missae*. (6) *Al.* ageremus.

Ex edit. P. Nicol. (a) Nec in *Glossa* quae nunc est, nec in *Anselmo* extat, nec alibi occurrit.

quomodo qui inebriantur, nocte inebriantur; sic & qui scandalum patiuntur, in nocte, & tenebris sustinent. *Hilarius* (can. 30.) Hujus etiam (1) praedicationis fides auctoritate propheticæ veteri continetur: unde sequitur: *Scriptum est: Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis.* *Hieronymus* (super *Scriptum est enim*). Hoc alii verbis in Zacharia Propheta cap. 13. scriptum est, & ex persona Prophetae ad Deum dicitur: „Percute pastorem, & dispergentur oves.“ Percutitur autem pastor bonus, ut ponat animam suam pro ovibus suis, & de multis gregibus (2) errantium fiat unus grex, & unus pastor. *Chrysostramus* (in hom. 83.) Hanc autem prophetiam inducit; simul quidem suadens eis attendere semper quae scripta sunt, simul etiam ostendens quoniam secundum Dei consilium crucifigebatur, & undique monstrans non alienum se esse à veteri testamento, (3) qui in eo praenuntiabatur. Non autem permisit eos in tristibus permanere; sed & laeta praenuntiat dicens: *Postquam autem resurrexero, praecedam vos in Galilaeam*: non enim confestim post resurrectionem in Caelo eis apparuit, neque in longam quamdam regionem, ut eis appareat, vadit; sed in ipsa gente, & in ipsis, fere regionibus: ut & hinc crederent quoniam qui crucifixus est, ipse est qui resurrexit. Propter hoc etiam se in Galilaeam abire dicit, ut à timore Judaeorum liberati crederent ei quod dicebatur. *Origenes* (tract. 35.) Praedicit etiam hoc eis, ut qui ad modicum disperguntur, scandalum passi, post congregentur à resurgente Christo, & praecedente eos in Galilaeam Gentium. *Hilarius* (can. 30.) Sed Petrus intantum & affectu, & caritate Christi eserebatur; ut & imbecillitatem carnis suae, & fidem verborum Domini non contueretur; quasi dicta ejus efficienda non essent: unde sequitur: *Respondens Petrus ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* *Chrysostramus* (in hom. 83.) Quid ais, o Petre? Propheta dicit: „Dispergentur oves,“ & Christus confirmavit quod dictum est; & tu dicis, Nequaquam. Quando dixit: *Unus ex vobis me tradet*, timebas ne tu esses traditor, quamvis nihil tibi tale conscius eras; nunc autem, manifeste eo dicente quoniam omnes scandalizabimini, contradicis. Sed quia erubescis, confidens de ratione, dicebat: *Ego nunquam scandalizabor.* *Hieronymus* (super *Respondens Petrus*). Non tamen est temeritas, nec mendacium; sed fides est Apostoli Petri, & ardens affectus erga Dominum Salvatorem. *Responsum* S. Thom. Op. Teon. VIII.

(1) *Al.* praedicationis. (2) *Al.* errorum. (3) *In* quatuor saepe citatis exemplis additur & à Deo. (4) *Al.* intelligibiliter. (5) *Al.* omittitur vel. (6) *Al.* quando.

*migius*. Quod ergo ille dicit praeviendo; iste denegat amando: ubi moraliter instruitur ut quantum confidimus de ardore fidei, tantum timeamus de carnis fragilitate. Videtur tamen accurabilis Petrus, & quoniam contradixit, & quoniam aliis seipsum praeposuit, & tertio quoniam totum sibi attribuit, quasi fortiter esset perseveraturus. Ut hoc igitur in eo sanaret, permisit fieri ejus casum, non impellens eum ad negandum, sed eum sibi deservens, & naturam humanam de fragilitate convincens. *Origenes* (tract. 35.) Unde alii discipuli scandalizati sunt in Jesu, Petrus autem non solum scandalizatur, sed abundantius relinquitur ut ter denegaret: unde sequitur: *Ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis.* *Augustinus* de Concor. Evang. (lib. 3. cap. 2.) Potest autem movere quod tam diversa non tantum verba, sed etiam sententiam Evangelistae praemittunt, quibus praemonitus Petrus, illam praesumptionem proferret, vel cum Domino, vel pro Domino moriendi; ita ut cogant, (4) intelligeret eum expressisse praesumptionem suam diversis locis sermonis Christi, & ter illi à Domino responsum, quod eum esset ante galli cantum ter negaturus; scit eum post resurrectionem ter illum interrogat, utrum illum amet, & mandatum de pacendis ovibus ter praecipit. Quid enim habent haec verba Matthaei, vel sententiae simile illis, (5) vel quibus secundum Joannem, vel quibus secundum Lucam Petrus protulit praesumptionem suam? Marcus autem pene ipsis verbis hoc commemorat (cap. 14.) quibus, & Matthaeus, nisi quod distinctius quemadmodum futurum esset, expressit dictum esse à Domino: „Amen dico tibi, quia tu hodie, in nocte hac priusquam bis gallus vocem dederit, ter me es negaturus.“ Unde nonnullis, qui parum attendunt, Marcus videtur non congruere ceteris: tota enim negatio Petri trina est; quae si post primum galli cantum inciperet, falsum dixisse viderentur tres Evangelistae, qui dicunt dixisse Dominum, quod antequam gallus cantaret, eum Petrus esset negaturus. Rufinus si totam trinam negationem ante peregerit quam cantare gallus inciperet, superfluo dixisse Marcus reprehenderetur ex persona Domini: „Priusquam gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus.“ Sed quia ante primum galli cantum cepta est illa trina negatio, attenderunt tres Evangelistae non quando eam completurus esset Petrus, sed (6) quanta futura esset, quando incepta, id est ante galli cantum, quamquam in anima ejus, & ante primum galli cantum.



tum tota possit intelligi, quoniam ante galli cantum tantus timor oblederat mentem, quæ eam posset usque ad tertiam negationem perducere. Multo minus igitur movere debet quia trina negatio, etiam trinis negantis vocibus, ante galli cantum cœpta, etsi non ante primum galli cantum peracta est; tamquam si alieui diceretur: Antequam gallus canter, ad me scribes epistolam, in qua mihi ter conviciaberis: non utique si eam ante omnem galli cantum scribere inciperet, & post primum galli cantum finiret, ideo dicendum erat falsum fuisse prædictum. *Origenes* (tract. 35.) (1) Quæres autem si possibile erat ut non scandalizaretur Petrus, semel Salvatore dicente, quoniam omnes vos scandalum patiemini in me. Ad quod aliquis respondebit, quoniam necesse erat fieri quod prædictum erat à Jesu; alius autem dicit, quoniam qui exoratus à Ninivitis, quæ prædixerat per Jonam non fecit, possibile fuit ut repelleret etiam scandalum à Petro deprecante. Nunc autem promissio ejus auidax in affectu quidem prompto, (2) non tamen prudenti, facta est ei causa ut non solum scandalizaretur, verum etiam ter denegaret. Postquam autem cum affirmatione juramenti pronuntiavit, dicit aliquis, quod non erat possibile ut non denegaret. Si enim juramentum erat Christi Amen, mentitus fuisset dicendo, Amen dico tibi; si verum dixisset Petrus, quia non te negabo. Videntur autem mihi cæteri discipuli cogitantes, quod primum fuerat dictum: Omnes vos scandalum patiemini. Ad hoc autem quod dictum est Petro, Amen dico tibi, promiserunt similiter Petro, quia non erant comprehensi in illa prophetia: unde sequitur: *At illi Petrus: Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt.* Hic etiam Petrus nescit quid loquatur: cum Jesu enim mori pro omnibus moriente, hominum non erat: quoniam omnes fuerant in peccatis, & omnes opus habebant ut pro eis alius moreretur, non ipsi pro aliis. *Rabbanus* (super *Si oportuerit me mori tecum.*) Sed quia intellexerat Petrus Dominum, præ timore mortis eum se prædixisse negaturum, ob hoc dicebat, quod licet periculum immineret mortis,

(1) *Al.* Quæretes autem. (2) *Al.* non sine. (3) *Multo plura habet P. Nicolai, videlicet Chrysostomus* in hom. 83, ut supra. Puto autem ambitione quoque aliqua & jactantia in ea verba Petrum fuisse lapsum: nam & in cena disceptabant quisnam ex eis major esset: adeo illos inanis gloriæ amor vehementer turbabat. Christus autem ab his eum passionibus liberare cupiens, opem suam ei subtraxit. Vide porro quomodo post resurrectionem hinc eruditus Christo submissus loquitur, nec eidem coarguenti ulterius repugnat: hæc omnia casus ille perfecit: nam ante sibi totum tribuebat, cum dicere potius debuisset, Non te negabo, si me patrocinio tuo juveris: è contrario autem totum potius Deo tribuendum offendit. „ Quid nobis attenditis (inquit Act. 3.) quasi propria virtute hæc ambulare fecerimus? „ Hinc ergo &c. (4) *Al.* omittitur ei.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Nempe fidei orthodoxæ.

nullo modo ab ejus fide posset avelli: & similiter alii Apostoli per ardorem mentis non timuerunt damnum mortis; sed vana fuit præsumptio humana sine protectione divina. (3) *Chrysostomus* (in hom. 83.) Hinc ergo magnum dicitur dogma, quia non sufficit desiderium hominis, nisi divino aliquis potiarit auxilio.

(k) *Remigius.* Paulo superius Evangelista dixerat, quia hymno jam dicto, exiit cum discipulis in montem Oliveti, & ut ostenderet ad quem locum ipsius montis diverterit, congaenter adjunxit: *Tunc venit Jesus cum illis in villam quæ dicitur Gethsemani.* *Rabbanus.* Lucas dicit cap. 22., In montem Oliveti: „ Joannes: Trans torrentem Cedron, „ quod idem est quod Gethsemani; & est locus in quo oravit ad radicem montis Oliveti, ubi hortus est, ubi etiam Ecclesia est ædificata. *Hieronymus* (super *Tunc venit Jesus in Gethsemani.*) Gethsemani interpretatur vallis pinguisima, in qua Jesus discipulos sedere paullisper, & expectare redeuntem, donec pro cunctis Dominus solus oraret. *Origenes* (tract. 35.) Non enim conveniebat ut ibi caperetur ubi cum discipulis manducaverat pascha; conveniebat autem & priusquam proderetur orare, & eligere locum mundum ad orationem: unde sequitur: *Et dixit discipulis suis: Sedete hic donec vadam illuc, & orem.* *Chrysostomus* (in hom. 84.) Hoc autem dicit, quia discipuli indivisibiliter sequebantur Christum: consuetudo enim (4) ei erat sine discipulis orare; hoc autem faciebat erudiens nos in orationibus quietem nobis constituere, & solitudinem querere. *Damasceus* in lib. 3. (a) (cap. 24.) Sed cum oratio sit ascensus intellectus ad Deum, vel petitio decentium à Deo, qualiter Dominus orabat? Neque enim ascensione, quæ ad Deum est, indigebat intellectus ejus, semel secundum personam Deo Verbo unitus; neque etiam ea quæ à Deo est petitio: unus enim Deus & homo Christus est. Sed formans in seipso quod nostrum est, docuit nos à Deo Patre petere, & ad ipsum extendi: sicut enim passionibus sustinuit, ut triumphans adversus eas victoriam nobis tribueret; ita orat, nobis viam faciens ad eam quæ ad Deum est ascensionem, & pro

nobis omnem justitiam implens, & reconcilians nobis Patrem suum, & ut principium ipsum honorans, & monstrans quod non est Deo contrarius. *Remigius.* Cum autem Dominus in monte oravit, docuit nos in oratione pro cælestibus Dominum supplicare; cum vero in villa oravit, nos instruit ut in oratione semper humilitatem servare debeamus. *Rabbanus* (super *Veni in villam.*) Pulchre autem appropinquans passioni, in valle pinguedinis orasse dicitur, ut demonstraret quod per vallem humilitatis, & pinguedinem caritatis mortem pro nobis suscepit. Moraliter etiam nos instruit ut non gestemus cor aridum à pinguedine caritatis. *Remigius* Appropinquans morti Dominus, in valle pinguedinis oravit: quia per vallem humilitatis, & pinguedinem caritatis pro nobis mortem subiit. Quia vero fidem discipulorum, & constantiam devotæ sibi voluntatis acceperat; sed turbandos illos, & dispergendos præsciebat: ideo jussit eos in loco sedere: nam sedere requiescentis est: laboraturi enim erant eum negaturi. Qualiter autem progressus sit, manifestat cum subiungitur: *Et assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cepit contristari, & mæsus esse.* Illos videlicet assumpsit quibus in monte claritatem suæ majestatis ostenderat, *Hilarius* (can. 31.) Sed qui dicit: *Cepit contristari, & mæsus esse,* hæreticorum omnis hic sensus est ut opinentur metum mortis in Dei Filium incidisse, quia asserunt non de æternitate prolatum, neque de infinitate paternæ substantiæ extitisse, sed ex nihilo per eum qui omnia creavit, effectum; & ideo in eo doloris anxietas, ideo metus mortis, ut qui mortem timere potuit, & mori possit; qui vero mori potuit, licet in futurum erit, non tamen per eum qui se genuit ex præterito, sit æternus. Quod si per fidem capaces Evangeliorum essent, scirent Verbum in principio Deum, & hoc in principio apud Deum, & eandem esse æternitatem gignentis & geniti. Sed si virtutem illam incorruptæ substantiæ, imbecillitatis suæ sorte assumptio carnis infecerit, ut sit ad dolorem infirma, ad mortem trepida, jam & corruptioni subdita erit; ac si æternitate demutata in metum, hoc quod in ea est poterit aliquando non esse. Deus autem sine mensura temporum semper est, & qualis est, talis semper æternus est. Mori igitur nihil in Deo potuit, nec ex se metus Deo nullus est. *Hieronymus.* Nos autem ita

dicimus hominem passibilem à Deo Filio susceptum ut Deitas impassibilis permaneret. Passus est enim Dei Filius non putative, sed vere omnia quæ Scriptura testatur, secundum illud quod pati poterat, secundum scilicet substantiam assumptam. *Hilarius* de Trinit. (lib. 10.) Puto autem non alia hic ad timendum quam passionis, & mortis causa à quibusdam præten-ditur. Interrogo autem eos qui hoc ita existimant, an ratione subsistat ut mori timeat qui omnem ab Apostolis timorem mortis expellens ad gloriam eos sit martyrii adhortatus: quid enim ipse in mortis sacramento doluisse existimandus est qui pro se morientibus vitam rependit? Deinde quem dolorem mortis timeat, potestatis suæ libertate moriturus? Si etiam passio honorificatura eum erat, quomodo tristem eum metus passionis effecerat? *Hilarius* (can. 31.) Quia ergo mæstum Dominum fuisse legimus, causas mæstitiæ reperiamus. Admonuerat superius omnes scandalizandos; Petrum etiam Dominus ter negaturum esse respondit; assumptisque eo, & Jacobo, & Joanne cœpit tristis esse: ergo non ante tristis est quam assumit; sed omnis metus illis esse cœpit assumptis: atque ita non de se orta est, sed de eis quos assumpserat, mæstitudo. *Hieronymus* (super *Assumptio Petro*) Contristabatur ergo Dominus non timore patienti, qui ad hoc venerat ut pateretur, & Petrum (1) temeritatis arguerat; sed propter infelicitissimum Judam, & scandalum omnium Apostolorum, & rejectionem, vel reprobationem populi Judæorum, & everisionem miseræ Hierusalem. *Damasceus* in lib. III. (cap. 23.) Vel aliter Omnia quæ non ante ad esse deducta sunt à conditore, (2) existendi naturaliter desiderium habent, & non existere naturaliter fugiunt. Deus igitur Verbum homo (3) factus habuit hoc desiderium, quo desideravit escam, & potum, & somnum, quibus scilicet conservatur vitæ (4) & naturaliter experientia horum usus est; & è contrario, corruptiva reformidavit: unde & tempore passionis, quam voluntarie sustinuit, habuit mortis timorem naturalem, & tristitiam (5) est enim timor naturalis quo anima non vult dividi à corpore, propter naturalem familiaritatem, quam ei à principio conditor rerum imposuit. *Hieronymus* (super *Cepit contristari, & mæsus esse.*) Dominus (6) ergo noster, ut veritatem assumpti probaret hominis, vere quidem contristatus

(1) *P. Nicolai* timiditatis. (2) *Al.* existendi naturaliter fugiunt. (3) *Al.* factus est: item factus habuit; & hoc est desiderium quod Dei desideravit escam, &c. (4) *Al.* desiderans, & naturaliter in experientiam horum factus, & è contrario desideravit corruptivorum amotionem. (5) *Al.* est enim timor naturalis anima nolens (item nolente) dividi à corpore propter eam quæ ex principio à conditore imposta est naturalem familiaritatem. (6) *P. Nicolai* legit Dominus ergo noster vere quidem contristatus est, intermediis omisissis.







exaudiatur oratio. *Hieronymus* (super *Vigilate, & orate*). Impossibile est humanam animam non tentari. Ergo non ait, *Vigilate & orate*, ne tentemini, sed ne intretis in tentationem; hoc est, ne vos tentatio superet. *Hilarius* (can. 31.) Cur autem ne in tentationem venirent, admonere eos voluisset orare, offendit dicens: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*: Non enim de se hoc dicit: ad eos enim hic sermo conversus est. *Hieronymus* (super *Spiritus promptus est*). Hoc autem est adversus temerarios, qui quod crediderint putant se posse consequi. Itaque quantum de ardore mentis confidimus, tantum de fragilitate carnis timeamus. *Origenes* (tract. 35.) Hic considerandum est utrum sicut omnium caro infirma est, sic omnium spiritus promptus est; an omnium quidem caro infirma est, non autem & omnium hominum spiritus promptus est, sed tantum sanctorum; infidelium autem spiritus segnis est, & caro infirma. Est autem & alio modo caro infirma eorum solum quorum spiritus promptus est, qui cum spiritu prompto opera carnis mortificant. Hos ergo vult vigilare, & orare, ut non intrent in tentationem; quoniam qui spiritualior est, sollicitior debet esse, ne magnum bonum ipsius gravem habeat lapsum. *Remigius*. Vel aliter his verbis ostendit se veram carnem ex Virgine sumpsisse, & veram animam habuisse: unde & nunc dicit spiritum suum promptum esse ad patiendum; carnem vero infirmam timere dolorem passionis.

Sequitur: *Iterum secundo abiit, & oravit dicens: Pater mi, si non potest calix iste transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua*. *Origenes* (tract. 35. in *Matth.*) Estimo quod calix iste passionis omnino à Jesu fuerat transiturus, sed cum diffidentia: ut si quidem biberet eum, & ab ipso transiret, postmodum & ab universo genere hominum; si autem non biberet eum, ab ipso quidem forsitan transiret, ab hominibus autem non transiret. Hunc ergo calicem passionis volebat quidem à se transire sic ut omnino neque gustaret amaritudinem ejus, si tamen possibile esset, quantum ad iustitiam Dei. Si autem non poterat fieri, magis volebat ut fumeret eum, & sic transiret ab eo, & ab universo hominum genere, quam ut contra voluntatem paternam bibitionem ejus effugeret. *Chrysostomus* (in hom. 84.) Quod quidem secundo, vel tertio orat, ex affectu scilicet humane infirmitatis, quo mortem timebat, certificat quod vere factus est homo. Secundo enim vel tertio aliquid fieri, veritas est maxime demonstrativum in Scripturis: unde Joseph dixit Pharaoni Gen. 41., Quod vidi, disti secundo, ad eandem rem pertinens, somnii firmitatis indicium est. *Hieronymus*.

Vel aliter. Secundo orat, ut si Ninive, idest Gentilitas, aliter salvari non potest, nisi aruerit cucurbita, idest Judæa, fiat voluntas Patris, quæ non est contraria Filii voluntati, dicente ipso per Prophetam Psal. 39., Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui. *Hilarius* (can. 31.) Vel aliter. Passaris discipulis omnem in se corporis nostri infirmitatem assumpsit; crucisque secum universa quibus infirmamur affixit; & ideo transire ab eo calix non potest nisi illum bibat, quia pati nisi ex ejus passione, non possumus. *Hieronymus* (super *Veni iterum*). Christum autem solus orat pro omnibus, sicut & solus patitur pro universis; sequitur enim: *Et venit iterum, & invenit eos dormientes; erant enim oculi eorum gravati*. Languescunt enim, & opprimebantur Apostolorum oculi negatione vicina. *Origenes* (tract. 35.) Puto enim quod non tantum corporum oculi quantum animarum gravati erant: nondum enim erat eis Spiritus datus: unde non eos reprehendit, sed vadens iterum oravit, docens ut non deficiamus, sed permaneamus in oratione, donec impetremus ea quæ postulare jam cœpimus: unde sequitur: *Et relicti illis, iterum abiit, & oravit tertio, eandem sermonem dicens*. *Hieronymus* (ibidem.) Tertio autem oravit, ut in ore duorum, vel trium testium staret omne verbum. *Rabbanus* (super *Iterum abiit &c.*) Vel ideotribus vicibus Dominus oravit, ut nos à peccatis præteritis veniam, & præsentibus malis tutelam, & futuris periculis cautelam oremus; & ut omnem orationem ad Patrem, & ad Filium, & ad Spiritum Sanctum dirigamus; & ut integer spiritus noster, & anima, & corpus serveatur. *Augustinus* de *Quæst. Evang.* (Lib. 2. cap. 46.) Non absurde etiam intelligitur propter trianam tentationem passionis ter Dominum orasse. Sicut enim tentatio cupiditatis trina est, ita tentatio timoris trina est. Cupiditati quæ in curiositate est, opponitur timor mortis: sicut enim in illa cognoscendarum rerum est aviditas, ita & in ista metus amittendæ talis notitiæ. Cupiditati vero honoris, vel laudis opponitur timor ignominie, & contumeliarum. Cupiditati autem voluptatis opponitur timor doloris. *Remigius*. Vel ter orat pro Apostolis, & maxime pro Petro, qui ter erat eum negaturus.

(m) *Hilarius* (can. 31. parum ante finem.) Post orationem frequentem, post discursus, recursusque multiplices, metum demit, securitatem reddit, in requiem adhortatur: unde dicitur: *Tunc venit ad discipulos suos, & ait illis: Dormite jam, & requiescite*. *Chrysostomus* (in hom. 84.) Et quidem tunc vigilare oportebat; sed hoc dixit, ut ostenderet quoniam neque visum possent ferre futurorum malorum, &

quo-

quoniam eorum non indiget auxilio, & quoniam omnino tradi eum oportebat. *Hilarius* (can. 31.) Vel hoc dicit, quia voluntatem Patris de discipulis jam securus expectabat, de qua dixerat, *Fiat voluntas tua*, quæ scilicet transiit in nos calicem bibens, infirmitatem corporis nostri, & timoris solitudinem, & ipsum dolorem mortis absorbit. *Origenes* (tract. 35.) Vel non est. Ne ipse somnus, quem jubet nunc discipulos suos dormire, & ille qui eis superius scribitur contigisse. Illic enim dormientes invenit, non requiescentes, sed gravatos oculos habentes; nunc autem precepit eis non simpliciter dormire, sed cum requie; ut ordo servetur, ut primum quidem vigilemus orantes, ut non intremus in tentationem, ut postea dormiamus, & requiescamus, ut cum aliquis invenerit locum Domino, tabernaculum Dei Jacob, ascendat supra lectum stratus sui, & det somnum oculis suis: Psal. 132. Forsitan autem & anima non potens semper sustinere labores, quasi (1) incarnata remissionem aliquas sine reprehensione consequetur, quæ moraliter dormitiones dicuntur, ut usque ad aliquantum temporis habens remissionem renovata refuscitetur. *Hilarius* (can. 31.) Quod autem ad eos revertens, dormientemque reperiens, primum reversus objurgat, secundo silet, tertio quiescere jubet: ratio ista est, quod primum post resurrectionem dispersos eos, & diffidentes, ac trepidos reprehendit; secundo misso Spiritu paraclyto, (2) gravatis ad contuendam Evangelii libertatem oculis, visitavit: nam aliquandiu legis amore detenti, quodam fidei somno occupati sunt: tertio vero, idest claritatis suæ reditu, securitati eos, quietique restituit. *Origenes* (tract. 35.) Postquam autem refuscitavit eos à somno, videns in spiritu appropinquantem Judam traditioni, qui nondum videbatur à discipulis ejus, dicit: *Ecce appropinquavit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum*. *Chrysostomus* (in hom. 84.) Per hoc autem quod dicit, *Appropinquavit hora*, ostendit quoniam divinæ dispositionis erat quod gerebatur; per hoc autem quod dicit, *In manus peccatorum*, demonstrat quoniam illorum nequitie hoc opus erat, non quod ipse delicto esset obnoxius. *Origenes* (tract. 35.) Sed & nunc in manus peccatorum traditur Jesus, quando hi qui videntur Jesum credere, habent eum in manibus suis, cum sint peccatores. Sed & quotiescumque justus habens in se Jesum, in potestate factus fuerit peccatorum, Jesus est traditus in manus peccatorum. *Hieronymus*. Postquam ergo traditaverat, &

Apostolorum timorem sequente penitentia impetraverat corrigendum, securus de passione sua pergit ad persecutores, & ultro se ad interficiendum præbet: unde sequitur: *Surgite, eamus*; quasi dicat: Non vos inveniat quasi timentes: ultro pergamus ad mortem, ut confidentiam, & gaudium passuri videant: sequitur enim: *Ecce appropinquavit qui me tradet*. *Origenes* (tract. 35.) Non dicit, *Appropinquavit mihi*: nec enim ipsi appropinquabat traditor ejus, qui se elongaverat peccatis suis ab eo. *Augustinus* de *Concor. Evan.* (Lib. 3. cap. 4.) Videtur autem hic sermo secundum Mattheum sibi ipsi esse contrarius. Quomodo enim dixit, *Dormite jam, & requiescite*; cum connectat, *Surgite eamus*? Qua velut repugnantia quidam commoti conantur ita pronuntiare quod dictum est, *Dormite jam, & requiescite*, tamquam ab exprobrante, non à permitente sit dictum; quod recte heret, si esset necesse. Cum vero Marcus ita commemoravit, ut cum dixisset, *Dormite jam, & requiescite*, (3) adjungeret, *Sufficit*, & deinde inferret: *Venit*, hora: ecce tradetur Filius hominis: utique intelligitur post illud quod eis dictum est, *Dormite, & requiescite*, siluisse Dominum aliquantum: ut hoc fieret quod promiserat, & nunc intulisse, *Ecce appropinquavit hora*. Propter quod secundum Marcum, positum est, *Sufficit*, idest quod jam requiescit.

(n) *Glossa*. (a) Quia superius dictum est: quod Dominus ultro se persecutoribus exhibebat, consequenter Evangelista ostendit quomodo sit à persecutoribus detentus: unde dicit: *Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duodecim venit*. *Remigius*. Unus, videlicet numero, non merito. Hoc autem dixit ad ostendendum immane facinus illius qui de apostolica dignitate factus fuerat proditor. Sequitur: *Et cum eo turba multa cum gladiis, & fistulis*. Ut autem ostenderet Evangelista invidentiæ causa illum detentum, subjungit: *Missi à principibus sacerdotum, & senioribus populi*. *Origenes*. Potest dicere aliquis, quoniam propter multitudinem eorum qui jam crederant, multi venerunt adversus eum, timentes ne multitudo creditum de manibus eorum tollerent eum; ego autem æstimo etiam alteram causam, quoniam qui putabant in Beelzebub ejicere solere demonia, arbitrabantur eum ex quibusdam maleficiis posse effugere de medio volentium eum tenere. Multi etiam nunc spiritualibus gladiis militant contra Jesum, variis scilicet & diversis de Deo dogmatibus. Sequitur: *Qui autem tradi-*

(1) P. Nicolai ponit incurvata. (2) Al. gratis. (3) Al. adjungens.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Nec in Glossa quæ nunc extat, nec in Anselmo est: nec alibi occurrit.



dit eum, dedit eis signum, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Dignum est autem quærere, cum secundum faciem notus esset omnibus habitantibus in Judæa, quare quasi non cognoscentibus effigiem ejus, dedit eis signum. Venit autem traditio talis de eo (1) ad nos, quoniam non solum duæ formæ in eo fuerunt; una secundum quam eum omnes videbant, altera secundum quam transfiguratus est coram discipulis in monte; sed etiam unicuique apparebat secundum quod fuerat dignus: sicut & de manna scriptum est; quod habebat saporem ad omnem usum convenientem, & Verbum Dei non similitur cunctis apparet. Propter hujusmodi ergo transfigurationem ejus, signo indigebant. *Chrysostomus* (in hom. 84.) Vel ideo signum eis dedit, quia multoties detentus ab ipsis, pertransiit nescientibus eis: quod & tunc factum esset, si ipse voluisset.

Sequitur: *Et confestim accedens ad Jesum dixit, Ave Rabbi; & osculatus est eum. Rabbanus.* Suscipit Dominus osculum traditoris, non quod simile nos doceat, sed ne proditorem fugere videatur. *Origenes* (tract. 35.) Si autem aliquis quærat cur osculo Judas tradidit Jesum; secundum quosdam quidem voluit reverentiam ad magistrum servare, non audens manifeste in eum irruere; secundum alios autem hoc fecit, timens ne si forte se manifestum adversarium præbuisse, ipse ei fieret causa evasione, cum posset, secundum opinionem ejus effugere, & facere se impervium. Ego autem putans quod omnes proditores veritatis amare veritatem fingentes, osculi signo utuntur. Omnes (2) etiam hæretici, sicut & Judas, Jesu dicunt Rabbi. Jesu autem placabilia respondet: unde sequitur: *Dixit que illi Jesus: Amice, ad quid venisti?* Dicit autem, *Amice* impropere simulacionem: hoc enim nomine neminem bonorum in Scripturis cognoscimus appellatum, ad malum enim dicitur supra 22. *Amice* quomodo huc intrasti? & supra 20. *Amice, non facio tibi injuriam.* *Augustinus* in ser. de Pass. (a) Dicit autem, *Ad quid venisti?* tamquam si diceret: *Oscularis, & insidiaris: novi quare veneris; amicum (3) fingis, cum proditor sis.* *Remigius.* Sive *Amice* ad quid venisti? hoc fac, subintelligitur. Sequitur: *Tunc accesserunt, & manus injecerunt in Jesum, & tenuerunt eum.* Tunc scilicet quando ipse permisit: frequenter enim voluerunt, sed

non potuerunt. *Rabbanus.* (b) Exulta, Christiane, in commercio inimicorum tuorum vicisti: quod Judas vendidit, & quod Judæus emit, tu acquisivisti.

(c) *Chrysostomus* (in hom. 85.) Sicut Lucas refert cap. 22. Dominus in cœna discipulis dixerat: „ Qui habet sacculum, tollat similiter „ & peram; & qui non habet, vendat tunicam „ suam, & emat gladium: „ & discipuli responderunt: „ Ecce gladii duo hic. „ Conveniens autem erat illic gladios esse, propter agnum scilicet paschalem, quem comederent. Audientes quoque quoniam venirent persecutores ad Christum capiendum, a cœna exeuntes gladios sumpserunt in auxilium adversus persecutores, quasi pro magistro præliaturi: unde hic dicitur: *Et ecce unus ex his qui erant cum Jesu, extendens manum exemit gladium suum.* *Hieronymus* (super Et ecce unus qui erat cum Jesu.) In alio Evangelio (Joan. 18.) scriptum est, quod Petrus (4) hoc fecerit eodem ardore, quo & cetera fecit: unde sequitur: *Et percussit servum principis sacerdotum, amputavit auriculam ejus.* Servus principis sacerdotum Malchus appellatur; auricula quoque quæ amputatur, dextera est. Transitorie (5) dicendum est, quod Malchus, idest Rex quondam populi Judæorum, servus factus est impietatis, & devoracionis sacerdotum; dexteramque perdidit auriculam. (6) ut litteræ veritatem audiat in sinistra. *Origenes* (tract. 35.) Nam si videntur legem audire modo, cum sinistro auditu audiunt umbram traditionis de lege, non veritatem. Populus autem ex Gentibus significatus per Petrum, per hoc ipsum quod crediderunt in Christum, facti sunt causa ut præcideretur Judæorum auditio dextera. *Rabbanus* (hoc loco.) Vel Petrus non tollit audientibus intelligendi sensum, sed de divino (7) ablatum judicio negligentibus pandit: verum eadem dextera auris in his qui ex eodem populo crediderunt, divina pietate pristino restituta est officio. *Hilarius* (can. 32. inter prin. & med.) Vel aliter. Servo principis sacerdotum auricula ab Apostolo refecatur; populo scilicet sacerdotio servienti, per Christi discipulum inobediens auditus exciditur; & ad capacitatem veritatis hoc quod erat non audiens, amputatur. *Leo* Papa in (serm. 1.) de Pass. Dominus autem zelantis Apostoli fidei motum progredi ultra non patitur: unde sequitur *Tunc ait illi Jesus: Convertere gladium tuum in locum suum.*

Con-

(1) *Al. omititur* ad nos. (2) *Al. enim.* (3) *Al. fugis.* (4) *Al. omititur* hoc. (5) *Al. ostendendum* est. (6) *P. Nicolajus* habet ut litteræ veritatem audiat in sinistra. (7) *Al. ablati.*

EX EDIT. P. NICOL. (a) Quod subjungitur ex Augustino, non occurrit; est tale aliquid indicatur serm. 48. in appendice de diversis, qui tamen ejus non est. (b) Quod sequitur ex Rabano, est Augustini quoque, à quo Rabbanus mutuatus est. Lib. 2. de Symbolo ad catechumenos cap. 6.

Contra sacramentum (1) enim erat redemptionis nostræ: ut qui mori pro omnibus venerat, capinoller. Dat ergo in se ferentibus licentiam sciendi, ne dilato gloriosa crucis triumpho, & dominatio diabolica fieret longior, & captivitas humana diuturnior. *Rabbanus* (super *Convertere gladium tuum.*) Oportuit etiam ut auctor gratia fideles patientiam suo exemplo doceret, & potius ad sustinendum fortiter adversa instrueret quam ad vindicandum provocaret. *Chrysostomus* (in hom. 85.) Ad hoc autem ut discipulo persuaderetur, comminationem addit, dicens: *Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* *Augustinus* contra Faustum (Lib. 22. cap. 70.) Idest, omnis qui usus fuerit gladio. Ille autem utitur gladio, qui nulla superioritate, aut legitima potestate vel jubente, vel concedente, in sanguinem alicujus armatur. Nam utique Dominus jussit ut ferrum discipuli ejus feriret; sed non jussit ut feriret. Quid ergo indignum si Petrus post hoc peccatum factus est pastor Ecclesiæ, sicut Moyses post percussum Ægyptium factus est rector (2) & princeps synagogæ? Uterque enim non detestabili immanitate, sed emendabili immolitate regulam excessit; uterque odio improbitatis alienæ; sed ille fraterno, iste dominico, licet adhuc carnali, tamen amore peccavit. *Hilarius.* Sed non omnibus gladio utentibus mors solet esse per gladium: nam plures aut febris, aut alius accidens casus absunt qui gladio, aut judicii officio, aut resistendi latronibus necessitate sunt usi. Et si secundum sententiam ejus, omnis gladio utens, gladio perimeretur, recte ad necem eorum gladius eximebatur qui eodem utebantur ad facinus. *Hieronymus* (super *Tunc ait illi Jesus.*) Quo ergo gladio peribit quicumque gladium sumpserit? Illo nempe qui igneus vertitur ante paradysum, & gladio spiritus, qui in Dei describitur armatura. *Hilarius* (can. 31. inter prin. & med.) Recondi ergo gladium præcipit Dominus: quia eos non humano, sed oris sui gladio esset perempturus, *Remigius.* Vel aliter. Qui gladio utitur ad occidendum hominem, ipse suæ prius malitiæ moritur gladio. *Chrysostomus* (in hom. 85.) Non solum autem mitigavit discipulos per comminationem pœnæ, sed etiam ostendendo quod voluntarie hoc sustinebat: unde sequitur: *An putas quia non possum rogare Patrem meum; & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum?* Quia multa humane infirmitatis ostenderat, non videretur credibilia dicere, si dixisset, quod eos perdere posset; & ideo dicit: *An putas quia non possum?* &c. *Hieronymus.* (super *An putas quia non possum?*) Quasi diceret: *S. Thom. Op. Tom. VIII.*

(1) *Al. omititur* enim. (2) *Al. dicit* & princeps. (3) *Al. dolosa,*

Non indigeo duodecim Apostolorum auxilio, etiam si omnes me defenderent, qui possum habere duodecim legiones angelici exercitus. Una legio apud veteres sex milibus hominum complebatur: de duodecim ergo legionibus, septuaginta duo millia Angelorum sunt; in quot gentes hominum lingua (3) divisa est. *Origenes* (tract. 35.) Ex hoc autem demonstratur quoniam secundum similitudinem legionum militiæ mundialis sunt & Angelorum legiones: militiæ caelestis militantium contra legiones demonum: militiæ enim omnis propter adversarios intelligitur constituta. Non autem quasi indigens auxilio Angelorum hoc dicebat, sed secundum estimationem Petri volens ei auxilium ferre. Magis enim Angeli opus habent auxilio unigeniti Filii Dei quam ipse illorum. *Remigius.* Possumus etiam intelligere per Angelos Romanorum exercitum: cum Tito enim, & Vespasiano omnes linguae adversus Judæam struxerunt; & impletum est. Quia pugnabile pro eo orbis terrarum contra insensatos: *Sap. 5.* *Chrysostomus* (in homil. 85.) Non solum autem per hoc timorem discipulorum evacuat, sed etiam per hoc quod Scripturas in medium introducit, dicens: *Quomodo ergo implebuntur Scripturae quia sic oportet fieri?* *Hieronymus* (hoc. cit.) Hæc sententia promptum ad patiendum demonstrat animum: quod frustra Prophetæ cedebant, nisi Dominus eos vera dixisse sua passione asseveret.

(p) *Origenes* (tract. 35.) Postquam dixit Petro, *Reconde gladium tuum*, quod est patientiæ; postquam etiam auriculam restitit amputatam, sicut alter dicit Evangelista, quod summae benignitatis indicium fuerat, & divine virtutis; subditur: *In illa hora dixit Jesus turbis: ut si præterita beneficia non recordantur, vel præsentia recognoscant: Tamquam ad latronem existis cum gladiis, & fistibus comprehendere me.* *Remigius.* Ac si diceret: Latronis officium est nocere, & latitare; ergo vero hemini nocui; sed plures sanavi, & in synagogis semper docui; & hoc est quod subditur: *Quotidie apud vos sedebam in templo docens, & non me tenuistis.* *Hieronymus* (super *In illa hora dixit Jesus.*) Quasi diceret: Stultum est eum gladiis, & fistibus quærere qui ultro se vestris tradidit manibus; & in nocte quasi latitante per proditorem investigare qui quotidie in templo doceat. *Chrysostomus* (in hom. 85.) Ideo autem eum in templo non tenuerunt, quia non ausi erant propter turbam: propter quod & Dominus foras exivit, ut ex loco, & tempore daret eis aptitudinem se capiendi. Ex hoc ergo docet quoniam nisi voluntarius

L 5

tarius

ambrosius (1)



tarius permisisset, nequaquam eum capere valissent. Deinde Evangelista questionem solvit, propter quid Dominus capi voluit, cum subdit: *Hoc autem totum factum est ut adimpleretur Scriptura Prophetarum. Hieronymus* (super hoc verbo.) *“Foderunt manus meas, & pedes meos:”* Psal. 21. & alibi (Esa. 53.) *“Sicut ovis ad victimam ductus est:”* & in (1) alio loco: *“Ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem.”* *Remigius.* Quia enim omnes Prophetae prædixerunt Christi passionem, ideo non posuit fixum testimonium, sed generaliter dicit impleri vaticinia omnium Prophetarum. *Chrysolomus* (in hom. 85. ante medium.) Discipuli autem, qui quando deceptus est Dominus, permanerunt, quando locutus est hæc ad turbas, fugerunt: unde sequitur: *Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt: sciebant enim quoniam jam non erat possibile effugere, eo se voluntarie illis tradente. Remigius.* In hoc tamen facto demonstratur fragilitas Apostolorum: qui enim de ardore fidei promiserunt se mori cum eo, nunc timore fugiunt immemores suæ promissionis. Quod etiam videmus impleri in his qui pro amore Dei magna se promittant facturos, postmodum non implent: non tamen desperare debent, sed cum Apostolis resurgere, & per penitentiam resipiscere. *Rabbanus* (super Relicto eo, omnes fugerunt.) Mystice autem, sicut Petrus, qui culpam negationis penitentia lacrymis abluit, recuperationem eorum ostendit qui in martyrio labuntur; ita ceteri discipuli fugientes, cautelam fugiendi docent, opusque minus idoneos ad toleranda supplicia sentiunt. *Sequitur: At illi tenentes Jesum duxerunt ad Caipham principem sacerdotum. Augustinus de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 6.)* Sed tamen primo ad Annam ductus est sacerdos Caiphæ, sicut Joannes dicit: ductus est autem ligatus, cum adessent in illa turba tribus, & cohors, ut Joannes commemorat. *Hieronymus* (super *At illi tenentes Jesum*.) Refert autem Josephus istum Caipham unius tantum anni pontificatum pretio redemisse; cum tamen Moyses Deo jubente præcepit ut pontifices patribus succederent, & generationis in sacerdotibus series texeretur. Non ergo mirum est si iniquus pontifex iniqua iudicet. *Rabbanus* (super *Quærebant falsum testimonium*.) Convenit etiam nomen actioni: *Caipha*, id est investigator, vel sagax ad implendam suam inquitur, vel vomens ore, quia impudens fuit ad proferendum mendacium, & ad perpetrandum homicidium. Ideo autem illic eum adduxerunt, ut cum consilio omnia facerent: unde sequitur: *Ubi scribae, & seniores convenerunt.*

(1) Pro eodem.

*Origenes* (tract. 35.) Ubi Caiphas est princeps sacerdotum, illic congregantur scribae, id est literati, qui præsum literatæ occidenti, & seniores non in veritate, sed in veritate literatæ. Sequitur: *Petrus autem sequebatur eum à longe:* non enim poterat de proximo eum sequi, sed de longinquo; nec tamen omnino recedens ab eo. *Chrysolomus* (in hom. 85.) Multus enim erat fervor Petri, qui cum alios fugientes vidisset, non fugit, sed stetit, & intravit. Si autem & Joannes intravit, tamen notus erat principi sacerdotum. Longe autem sequebatur, quia erat Dominum negaturus. *Remigius.* Neque enim negare potuisset, si Domino proximus adhæsisset. Per hoc etiam significatur quod Petrus, Dominum ad passionem eum fecerat, id est imitaturus. *Augustinus* de Quæst. Evang. (Lib. 1. cap. 40.) Significatur etiam Ecclesiam securitatem quidem, hoc est imitaturam, passionem Domini, sed longe differenter: Ecclesia enim pro patitur, at ille pro Ecclesia. *Sequitur: Et ingressus intro, sedebat cum ministris, ut videret finem. Hieronymus* (super *Et ingressus intro*.) Vel amore discipuli, vel humana curiositate scire cupiebat quid judicaret de Domino pontifex, utrum eum neci adiceret, an flagellis cæcum dimitteret.

(9) *Chrysolomus* (in hom. 85.) Congregatis principibus sacerdotum, tota pensilientia conventicula volebant suis insidias iudicii formam impingere: unde dicitur: *Principes autem sacerdotum, & omne concilium quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent.* Sed quod fictum erat iudicium, & omnia tumultu, & turbatione plena, manifestatur per hoc quod subditur: *Et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Origenes* (tract. 35.) Falsa enim testimonia tunc locum habent quando cum colore aliquo proferuntur. Sed nec color inveniebatur qui posset contra Jesum adjuvare mendacia; quamvis essent multi gratiam tribuere volentes principibus sacerdotum: quod maximam laudem exhibet Jesu, qui sic omnia irreprehensibiliter dixit, & fecit ut nullam verisimilitudinem invenirent in eo reprehensionis, & mali & multi astuti.

*Sequitur: Novissime autem venerunt duo falsi testes, & dixerunt: Hic dixit: Possim destruere templum Dei, & post triduum reedificare illud. Hieronymus* (super *Novissime venerunt duo falsi testes*.) Quomodo autem falsi testes sunt, si ea dicunt quæ Dominum dixisse legimus? Sed falsus testis est qui non eodem sensu dicta intelligit quo dicuntur. Dominus enim dixerat de templo corporis sui; sed in ipsis verbis calumniatur.

ur, ut paucis additis, vel mutatis quasi iustam calumniam faciant. Salvator dixerat Joan. 2. *“Solvite templum hoc:”* isti commutant, & ajunt: *“Possim destruere templum Dei. Vos, inquit, solvite, non ego: quia illicitum est ut nobis ipsi inferamus manus. Deinde illi vertunt: Et post triduum reedificare illud, ut proprie de templo Judaico dixisse videretur; Dominus autem, ut ostenderet animale, & spiritans templum, dixerat: “Ego in triduo resuscitabo illud.” Aliud est edificare, aliud suscitare. Chrysolomus* in hom. 85. Sed quare non attulerunt in medium accusationem de solutione sabbati? Quia multotiens eos super hoc confutaverat. *Hieronymus* (super *Nihil respondes ad ea*) *“Ira autem præcepit, & impatiens non juveniens calumnie locum, excutit de folio pontificem, ut vesaniam mentis motu corporis demonstraret: unde sequitur: Et surgens princeps sacerdotum ait illi: Nihil respondes ad ea quæ isti adversum te testificantur?”* *Chrysolomus* in hom. (85. circ. med.) Hoc autem dixit, volens ab eo inexcusabilem responsum elicere, ut ex ipsa eum caperet. Inutilis autem erat excusationis responso, nullo eum exaudiente: & ideo sequitur: *Jesús autem tacebat:* etenim solum figura iudicii ibi erat, in veritate autem latronum erat incurfus, sicut in spelunca; & ideo silet. *Origenes* (tract. 35.) Ex hoc autem loco discimus contemnere calumniantium, & fallorum testium voces, ut nec responso dignos eos habeamus qui non convenientia dicunt adversus nos; maxime ubi majus est libere, & fortiter silere, quam defendere sine ullo profectu. *Hieronymus* (loc. cit.) Sciebat enim quasi Deus, quicquid dixisset, torquendum ad calumniam. Quanto ergo Jesus magis tacebat ad indignos responso sua falsos testes, & sacerdotes impios, tanto magis pontifex furor superatus, eum ad respondendum provocat, ut ex qualibet occasione sermonis, locum inveniat accusandi: unde sequitur: *Et princeps sacerdotum ait illi: Adpro te per Deum vivum ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei. Origenes* (tract. 35.) In lege quidem adjurandi usum aliquoties invenimus; ætino autem quoniam non oportet ut vir qui vult secundum Evangelium vivere, adjuret alterum: si enim jurare non licet, nec adjurare. Sed & qui respicit Jesum imperantem demonibus, & potestatem tantam discipulis super demonia, dicit quod secundum potestatem datam à Salvatore, non est adjurare demonia. Princeps autem sacerdotum peccatum faciebat insidians Jesu; & ideo imitabatur proprium patrem, qui bis dubie in-

(1) Al. est.

terrogavit Salvatorem, supra 4. *“Si tu es Christus Filius Dei. Unde quis recte dicere potest, quoniam dubitare de Filio Dei, utrum ipse sit Christus, opus diaboli est. Non decebat autem Dominum ad adjurationem principis respondere sacerdotum, quasi vim passum; propter quod nec denegavit se Filium Dei esse, nec manifeste confessus est; unde sequitur: Dicit illi Jesus, Tu dixisti. Non enim erat dignus Christi doctrina: propterea non eum docet, sed verbum oris ejus accipiens, in redargutionem ipsius convertit. Sequitur: Verumtamen dico vobis: amodo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei. Videtur mihi quoniam firmitatem quamdam regalem significat seculo Filii hominis: juxta virtutem ergo Dei, qui solus est virtus, fundatus est qui accepit omnem potestatem à patre, sicut in celo, & in terra. Erat autem quando hanc fundationem videbant etiam adversarii, quod à tempore dispensationis incepit impleri. Viderunt enim ejus discipuli eum resurgentem à mortuis, & per hoc viderunt eum fundatum ad dexteram virtutis. Vel quia secundum longitudinem sempiternam, quæ est apud Deum, à constitutione mundi usque ad finem est unus dies: nihil ergo mirum quod hic dicit Salvator, Amodo, spatium (1) esse brevissimum usque ad finem ostendens; & non solum sedentem eum ad dexteram virtutis virtuos prophetabat, sed etiam venientem in nubibus cæli: unde sequitur: *Et venientem in nubibus cæli. Hæc nubes sunt Prophetæ, & Apostoli Christi, quibus mandat pluere cum oportet; & sunt nubes cæli non transeuntes, quasi portantes imaginem cælestis, & dignæ sunt ut sint sedes Dei, quasi heredes Dei, & coheredes Christi: Hieronymus* (super *Tunc princeps scidit vestimenta.*) Pontificem autem quem de folio sacerdotali furor excusserat, eadem rabies ad scindendum vestes provocat: unde sequitur: *Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens, Blasphemavit.* Consuetudinis enim Judaicæ est quod cum aliquid blasphemum, & quasi contra Deum audierint, scindant vestimenta sua. *Chrysolomus* in hom. 85. Hoc igitur fecit, ut accusationem redderet graviorem, & quod verbis dicebat, factis extolleret. *Hieronymus* (ubi supra.) Per hoc autem quod scidit vestimenta sua, ostendit Judæos sacerdotalem gloriam perdidisse, & vacuum sedem habere pontificis. Dum enim vestem sibi discidit, ipsum quo tegebatur velamentum legis abrupit. *Chrysolomus* in hom. 85. Cum ergo scidisset vestimenta sua, non fert sententiam à seipso, sed ab aliis eam exquirat, dicens, *Quid vobis videtur?* Sicut in confessis*



